assertores, qui patriam suam ab obtrectatione et
calumnia tueantur, 12. calend. Augusti Bremae. Bene
consalute in Christo. Doct. Casparo Crucigero & alt. Co-
nerdingo et tuae carissimae conjugi et nostris adole-
scentibus, quae tua est domestica ecclesia, cui Deus mul-
tiplicet benedictionem. Amen. 1571.

Johannes Molanus.

Henrico Hamken Witebergae. 181.

Pax Christi.

Volebam tecum prolixius suavissime adolescens: sed mihi sessu-
la suum subduxit, ut nisi subinde oleum instilles, sensim [= Hocr. a. 7: Nr. 207]
lumen extingui: sic meum ingenium per se exiguum,
quia non suppetit otium eruditioni alendae, quam olim
juvenis inchoaveram, sterile paulatim et effoetum
redditur, neque par esse potest tot rebus conficiendis, quot
schola, quot amici, quot familia sua sibi jure videntur
vindicare. Atqui parva quaedam animi virtus adhuc
virida est, vigetque, si quando spatium suum exercens,
non ultra vires oneretur. Ego vero his annis octo,
quibus hoc Rectoris saxum Bremae volvo, plerumque dixi,
tum sui domi et publice, sine ulla liberali respiratione.
Scio flagitiosam rem esse scholarum neglectionem, itaque
consumi malim et contabescere, quam laudem trahere,
et rebus necessariis deesse. Laudanda est Dei patris no-
stri bonitas, quae nobis non malum scholae, et non poeni-
tendum statum hactenus concessit, ejus invocatione no-
minis freti, multa superavi obstacula, multas in-
jurias sollicitione lassus sum, et adolescentum studia me-
diocriter juvi. Multa porro me passus sum, dum luctor
cum malis scholasticorum moribus, quae res (ut recte
putas) revulsit quosdam a nobis ante maturitatem.
Sed ego in hoc nunc sum quoque, ut non recusem admittere
pauciores, modo meliores. Atqui (heu miseria) hujus
temporis barbariem, ac protervam ne ferrei quidem
muri arcere possunt. Proinde non tam de externis
scholae periculis anxie semper cogito, quam de vitiis
intestinis, quae, cum semel insederint, sanari non queunt.

omninò dicas mihi. Navita de ventis &c. quid sunt. Haec mihi magis in promptu sunt, et spero ea ipsa tibi non fore inficianda. Sed multa signa tui non vulgaris erga me amoris, quem equidem in tuis literis dilucide expressum exosculor, et Filium Dei supplex oro, ut tuae adolescentiae liberaliter bene educatissimumque suave ingenium, sicut benignè tibi contulit: ita excolendo illud, exornandoque incessanter tenore suae beneficentiae prosequatur. Tu interea quod promittis in epistola, (quae sanè est elegans, et mihi valde grata:) noli tibi ipse deesse, da operam ut retineas illam puritatem latini sermonis, et quamvis incumbes in studium artium superiorum, vide ne unquam tamen obliviscaris curam non inelegantiter intexendae orationes, magnum inde caveris disciplinae ornamentum accedet. Immodicum te esse in studio discendi, aut vehementem minime velim. Moderatio melior custos est diuturnitatis, et assiduitas in tali ingenio, quod etiam nunc aliqua verae pietatis luce illustratum est, occulto progressu feret multo fructum uberiorem, omnium expectatione. Legerunt tuam epistolam, Abrahamus et Jeremias, qui te amant et salvere jubent. Saluta meis verbis reverenter Dom: Sebastianum Winshemium meum veterem amicum in Christo. Vale. Nam jam ingredior domum et pomeridiana exhortatione, ipso quem vocant M. Magdalena 1571.

Tui in Dno studiosus
Johannes Molang.

(82.)

[= Mscr. a. 7: Nr. 208]

Arnoldo Scharar Joachimi F.
Pax Christi.

Quod ad Henr. Rerium nostrum proprius te adjunxeris factum bene tibi gratulor. Arnolde Scharar, et consilium tuum laudo. Novimus illius juvenis non solum ingenium et studium, sed etiam modestiam et integritatem. Nihil erit tibi isthic Henrici convictu suavius, nihil etiam tuis studiis magis accommodatum; crede mihi quotidiana ejus consuetudo non mediocriter augebit probitatem,